

quod nisi unus sit prope alium uideri non posunt & sic quandoque equitant per xxx & xl dietas & ut plurimum uersus partes reobar & capiunt homines ipsosque uendunt & dominus marcus fere captus fuit ab eis propter obscuritatem illam set fugit ad quoddam castrum. set aliqui ex eius socijs capti fuerunt & ue[n]diti alqui uero mortui/ cum uero disceditur a chermam quod durat iij dietis intratur quoddam desertum in quibus locis non inuenitur nisi parum aque & illa salsa est & uiridis uelud herba prati & ita amara quod nullus de ea bibere posset & si quis biberet solummodo una[m] gutam flueret de subtus pluribus x uicibus/ & homines transeuntes per illa deserta secum portant aquam. bestie uero uiolenter bibunt propter cogentem sitim set statim paciuntur fluxum corporis ualde magnum/ & in omnibus istis iij dietis nulla nulla habitatio inuenitur set est desertum & siccitas nec inueniuntur bestie quia ad comedendum non habent

legem macometi obseruant

Cobinan est quedam ciuitas magna cuius gens legem macometi obseruant ibi fiunt specula de calibe multum pulcra & magna. fit ibi tucia| que multum ⁱⁱⁱ° ualet ad egritudinem oculorum/

Cum diseditur a cobina itur per quoddam desertum viij dietis in quo magna siccitas est nec fructus uel arbores ibi sunt [a]cqua etiam est amara transeuntes secum portant que neccessaria sunt ad uictum. tamen eorum bestias exurgenti siti de aqua illa amara bibere cogunt. nam cum aqua farinam admiscent unde eas alliciunt ad bibendum in capite istarum viij dietarum inuenitur quedam prouincia nomine tunochayn que est versus tramontana in confinibus persye/ in qua quidem ciuitates multe sunt & castra/ est in ea quedam planicies magna in qua est arbor sola quam xpistiani arborem sicam uocant cuius qualitas & condicio est hec. arbor est magna ualde & crossa. folia eius ex parte una sunt uiridia & ex altera alba que ducit dumos similes dumis castanearum set nichil in eis est & lignum suum est forte & croceum admodum busi/ ciuitates & castra abundant in omnibus pulcris & bonis. quia patria bone complexionis est uidelicet non multum calida & non multum frigida set temperata gens macometi legem obseruant sunt in ea pulcre gentes & precipue mulieres/

legem macometi obseruant

hic habitabant heretici sarraceni

Mulhee est quedam patria in qua ueglus de montanea manere consueuit antiquitus in qua patria habitabant heretici secundum legem sarracenam in quo loco ueglus fieri fecit inter duos montes quoddam uiridarium pulcrius & delectabilius quam unquam in hoc mundo fuerit & construi fecit palacia deaurata item fieri fecerat conductus per aliquos uinum per aliquos mel & lac decurebat erant ibi| domine & domicelle formosissime ultra modum que ⁱⁱⁱⁱ° cuiuslibet genus instrumenti egregie sciebant pulsare melodiante canebant ac suauius coreçabant ceteris mulieribus de hoc mundo. Et ideo iste ueglus hoc uiridarium in hunc modum construxit. Nam cum machometus tempore suo

